

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Magistro Honorio Archidiacono Richemundiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

BITVRICENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 51.
Non temerè
accusandum
esse maximò
nium quod per
multa tempora
confitit.
Cap. Veniens.
Quamtrin. ac-
cū, in tertia
collect.
** In tert. col-
lect. accusatio-*
ne

Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius nobilis vir And. de Calviniaco fideli nobis relatione monstravit qualiter matrimonium quod inter eum & dilectam in Christo filiam Dionysiam uxorem suam contractum extiterat, coram bonæ memoriarum predecessore tuo fuerit accusatum, qualiter etiam super actione processerit. Literas quoque tam confirmationis quam commissionis quæ à felicis recordationis Celestino Papa prædecessore nostro super hoc diversis temporibus emanarant, nobis exhibuit, & contra latam sententiam rationes plurimas allegavit, proponens pæpterea quod circa quindecim annos cum prædicta uxore sua in bona voluntate permanerat, & quinque liberos suscepserat ex eadem. Quia verò ingressus Ecclesiæ sibi fuerat interdictus, & nos recepta secundum formam Ecclesiæ cautione ab interdicto fecimus eundem absolvī, fraternitati tuæ de communi fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta mandamus quatenus cùm negotium ipsum ad sedem apostolicam sit translatum, tu eum, sententia non obstante, super ipso matrimonio non molestari, nec permittas ab alio molestari, sed si quis contra mandatum aliquid duxerit proponendum, illud referas ad apostolicam fedem. Et quia contra conjugium quod tanto tempore jam duravit, & ex eo proles multiplex est suscepta, actio non facile confuevit admitti, præsertim in gradu remoto, inter personas pacificè commandentes, provideat tua fraternitas discreto consilio, circumstantiis universis diligenti meditatione pensatis, quid deinceps super ipso negotio sit agendum. Datum Laterani I I. Non. Junij.

NOBILI VIRO AND. DE
Calviniaco.

Epist. 52.
De codem ar-
gumento.

In nostra præsentia constitutus fideli nobis relatione monstrasti &c. in eundem modum usque in finem. Volentes igitur plenius quieti tuæ paterna sollicitudine providere, auctoritate præsentium distictius inhibemus ne quis te vel uxorem tuam contra formam præmissam super hoc audeat molestare. Nulli ergo &c. Datum ut supra.

*Scriptum est Turonensi Archiepiscopo &
Episcopo Cenomanensi ut sive Bituricensis
Archiepiscopus sive alius eum vel uxorem
suam super hoc contra formam præmissam*

Tom. I.

præsumperit molestare, præsumptionem ipsius, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quod si non ambo &c. Datum ut suprà.

MAGISTRO HONORIO
Archidiacono Richemundie.

Post electionem & confirmationem venerabilis fratris nostri Eustachij Eliensis Episcopi, vacante archidiaconatu Richemundie, quem tenuerat, cùm id ad venerabilis fratris nostri Eboracensis Archiepiscopi notitiam pervenisset agentis tunc in partibus cismarinis, cum tibi propria liberalitate concessit, dans Eboracensi Capitulo suis literis in mandatis ut te in Archidiaconum, sicut moris est, recipere procurarent, cuius noluerunt mandato parere propter hujusmodi rationes.

Epist. 53.
Determinatur
controversia de
archidiaconatu
Richemundi
dix.
*Cap. 7. de
concess. prob.*

*Vide Roger.
de Hoveden
pag. 817. 823:
& leqq. edit.
Francfurt.*

Quia videlicet bona memoria Celestinus Papa prædecessor noster inter alia quæ Decano & Capitulo Eboracensi suo privilegio nescitur indulsisse, ordinationem quoque Canonorum seu personarum, sicut ab ipsa fundatione loci erat haec tenus observatum, liberam esse decrevit, ut videlicet idonea & honesta persona, cui Archiepiscopus ipse vacantem in Ecclesia Eboracensi præbendam vel dignitatem duceret conferendam, secundum antiquam ipsius Ecclesiæ consuetudinem præsentaretur Capitulo & Decano, receptus autem a Capitulo in Canonicum per librum & panem, per manum Decani deberet in Capitulo investiri, postmodum verò in osculo fratrum receptus, de conservanda fidelitate ipsi Ecclesiæ, libertatibus & consuetudinibus juri consentaneis pro viribus defendendis, non detegendis secretis Capituli, juramentum consuetum & debitum interponeret, & tunc de mandato Decani & Capituli, prout moris est, per manum installaretur Cantoris, & si quis contra consuetudinem istam antiquam & approbatam in ipsa Ecclesia esset per aliquem introductus, nec pro persona nec pro Canonico haberetur, quod si Archiepiscopus vacantem in Ecclesia ipsa præbendam vel personatum infra terminum Lateranensis Concilij secundum formam præscriptam canonica admonitione præmissa personæ idoneæ non conferret, liceret Decano & Capitulo auctoritate apostolica, nullius contradictione vel appellatione obstante, illud juxta ejusdem Concilij statuta conferre. Cùm igitur in literis Archiepiscopi directis Capitulo De-

MMm ij

cani mentio nullatenus haberetur , per cuius manum debebas in Capitulo investiri , ejus mandato fuit merito contradictum , & illa præterea ratione quod cum idem prædecessor noster I. de sancto Laurentio de cancellaria Eboracensi curaverit manus propria per anulum investire , mandans nuntio suo ipsius nomine stallum in choro & locum in Capitulo & processione cum integritate reddituum & omnibus ad cancellariam pertinentibus assignari , tu pro eo quod proventus ipso in contemptum præsumpsisti mandati apostolici retinere , per Decanum & Capitulum Eboracensem fuisti excommunicationis laqueo irretitus , unde non eras ad dignitatem interim admittendus . cui præterea illa ratio repugnabat , quod ante investituram à Capitulo habitam archidiaconali te officio ingessisti . unde juxta privilegij continentiam pro persona non debebas haberi , præsertim cum tibi homicidia , sacrilegia , incendia , & alia multa gravia & enormia obicerentur , quæ , archidiaconatum ipsum manu armata tibi usurpare contendens , perpetrare minimè timuisti . Ipsius igitur institutione propter premissas rationes & alias à Capitulo reprobata , ipsi , ne juris sui dispendium sustinerent , intelligentes etiam archidiaconatus ipsius * dispositionem ad eos tam auctoritate Lateranensis Concilij quam indulti sibi privilegij devolutam , habito prudentum consilio , illum dilecto filio Rogerio de sancto Eadmundo unanimiter contulerunt , investientes eum de ipso , prout moris est , & solemniter * instillantes . Processu vero temporis prefatus Archiepiscopus ab apostolica sede rediens in Normanniam , post resignationem & abjurationem à te factam & receptam ab ipso , eidem R. archidiaconatum contulit antedictum . Petebat igitur ab impetione prorsus absolvī , & archidiaconatum ipsum tam ratione primæ quam secundæ concessionis sibi rationabiliter assignatum per sedem apostolicam confirmari . Ad cujus objectiones ex ordine taliter respondebas , quod licet Decani mentio in literis Archiepiscopi directis Capitulo expressè facta non fuerit , non tamen ob hoc exclusus videri poterat vel debebat , sicut pars proponebat adversa ; immo continebatur in Capitulo sicut pars continetur in toto , cujus Decanus pars est honorabilis , Archiepiscopus vero caput existit , ne in uno contingat corpore , non sine monstruoso prodigo , duo capita inveniri . Quod autem te excommunicationis sententia lata per Decanum & Capitulum non ligaverit , multipliciter ostendere satagebas ; tum quia fructus cancellariae nequaquam perceperas , cum tantum spiritualium procurator esses ab Archiepiscopo constitutus , tum quia nec tu nec alius , occasione mandati simplicis , per quod coercitio nemini mandatur , potuit coerceri ; præsertim cum illa sententia qualisunque post appellationem à te interpositam fuerit promulgata . Vnde venerabilis frater noster Cantuariensis Archiepiscopus , tunc apostolicae sedis Legatus in Anglia , communicato multorum coepiscoporum & aliorum prudentium virorum consilio , pronuntiavit te hujusmodi sententia non teneri , sicut ex rescripto literarum ipsius Legati ostendere satagebas . Administrationi autem archidiaconatus , cum tempore illo absens fueris , te minimè ingessisti , sed cum vides postmodum inventaria tibi à Capitulo contra justitiam denegari , de mandato superioris archidiaconatum ingressus , cœpisti in eo , prout ad tuum pertinebat officium , ministrare . Quod autem homicidia vel alia hujusmodi per te illic fuerint perpetrata , vel quod archidiaconatum renuntiari aut etiam abjurari , penitus denegabas , afferens quod eo tempore quo pars adversa te renuntiasse vel abjurasse dicebat & sibi archidiaconatum fuisse collatum , Archiepiscopus te pro Archidiacono & adversarium pro excommunicato habuit pariter & intruso . Vnde auctoritate literarum nostrarum , de mandato dilecti filii nostri P. tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis , tunc apostolicae sedis Legati , coram venerabili fratre nostro Rothomagensi Archiepiscopo & suis coniudicibus in Normannia , & demum coram bona memoria Lincolnensi Episcopo & coniudicibus suis in Anglia , idem Archiepiscopus super intruptione ipsum adversarium traxit in causam , nosque receptas attestations super ipso negotio meminimus recepisse . Adjecisti præterea quod si etiam ea fecisses , per adversarium tamen tuum tibi non poterant obici cum effectu , cui potius super ipso archidiaconatu esset silentium imponendum , & approbata institutione tua , tibi restitutio facienda , ex confessione partis adversæ in judicio facta & sepius repetita ostendere nitebaris . Ipse namque Rogerius a nobis interrogatus in jure ex quo tempore archidiaconatus Richemundia sibi per Capitulum fuerit assignatus , respondit quod circa festum Ascensionis proximum triennium complere

* Tert. collect. donationem

Vide cap. Constitutiones . De iefib.

* Cod. Andeg. inthronizantes.

tur. Cùm igitur ex data literarum nostrarum constrareret tempore illo Archiepiscopum apud sedem apostolicam constitutum , & in eis pér nos antiquum jus fuerit declaratum, ut tempus quo ad apostolicam sedem accessit , & apud illam permanxit , vel recessit ab ipsa, non esset infra tempus sex mensium computandum , liquidò constare dicebas tempus illud Archiepiscopo minimè cucurrisse, sed si etiam quadriennium effluxisset, sicut prioris responsi poenitentis ultimo loco proposuit pars adverfa , quod ex parte tua de jure non posse fieri dicebatur , cùm etiam tunc arripisset iter ad sedem apostolicam veniendo , licet illud non fuerit continuè prosecutus , impedimentis multiplicibus retardatus, interpretatio rescripti nostri ad tempus etiam hujusmodi pertinebat , cui præterea præscriptio nocere non poterat in exilio constituto. Factum autem Capituli eundem R. non potuit excusare , quoniam cùm institutio facta per Archiepiscopum præcessisset , quod superior ordinaverat, Capitulum tamquam inferius non poterat reprobare , cùm etsi contra statutum privilegij non fuisset admissus , ipsi ramen, quia nec fuerant executores privilegij constituti, nec poterant simul esse judices & actores , contra te , præsertim absentem & non contumacem , procedere non valebant. Si quid ergo per ipsos erat contra factum Archiepiscopi proponendum , hujusmodi quæstio ad tribunal erat superius deferenda , ut auctoritate finiretur ipsius. Pendente proinde institutione tua , facta per illum ad quem tam jure communi quam auctoritate privilegij antedicti , per quod collatio personatum & præbendarum Archiepiscopo reservatur , idem R. non debuit in locum viventis obrepere, cùm sciverit vel scire debuerit hoc jure canonico interdictum. Ait enim beatus Gregorius : *Eum qui contra justitiae regulam in archidiaconatum alterius provehi se consensit, ab ejusdem archidiaconatus honore deponimus: qui si ulterius in loco eodem ministrare præsumperit, se participatione sacre communionis neverit esse privatum.* Hujus ergo auctoritate decreti adversarium tuum asserebas ab archidiaconatus officio , quem male receperat, deponendum; præsertim cùm illi primæ irruptioni vehementer insisteret, & per institutionem ejusmodi suum niteretur propositum demonstrare, ipsumque archidiaconatum tibi restituere suppliciter postulabas. Nos igitur auditis his & aliis quæ partes in præsentia nostra proponere voluerunt & pleniū intellectis, quoniam constituit

nobis archidiaconatum præmissum tibi per Eboracensem Archiepiscopum & primitus fuisse concessum , & quod institutio facta per ipsum secundum juris ordinem minimè reprobata , archidiaconatus non vacans nec potuerit nec debuerit in alium ritè transferri , memoria R. qui contra justitiae regulam in archidiaconatum alterius provehi se consensit, super eo silentium duximus imponendum , sententialiter decernentes ut institutio facta per Eboracensem Archiepiscopum de te sortiatur effectum. Exinde verò , si super renuntiatione vel abjuratione ut aliquo præmissorum aliquis qui velit & valeat , adversus te duxerit proponendum , ordine poterit judiciario experiri. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. Datum Laterani Kal. Iunij.

In eundem modum Decano & Capitulo Eboracensi usque experiri. Quocirca universitatì vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus quod à nobis est de jam dicto magistro Honorio provida deliberatione statutum , sublatto cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo , humiliter observare curretis , recipientes ipsum tamquam Archidiaconum , & a subditis recipi facientes. Nos enim si quid in præjudicium ejus de ipso archidiaconatu fuerit aliquatenus ordinatum , decernimus irritum & inane. Quod si forte , quod non credimus , mandatum nostrum nolueritis adimplere , noveritis nos venerabilibus fratribus nostris Eleni & Noryvicensi Episcopis & dilecto filio Decano Lincolniensi dedisse firmiter in mandatis ut vos ad id per distinctionem ecclesiasticam , contradictione & appellatione cessante , cogere non omittant. Datum Laterani III. Nonas Iunij.

Illis scriptum est super hoc contradictores &c. hoc addito. Si verò dictus R. de sancto Eadmundo possessionem archidiaconatus præsumperit detinere , vos præsumptionem ipsius etiam per subtractionem aliorum beneficiorum suorum , appellatione postposita , compescere procuretis. Quod si non omnes &c. Datum ut suprà.

REGI ANGLORVM ILLVSTRI.

Cum partibus apud sedem apostoli cam constitutis super archidiaconatu Richemundiæ diutius fuisset in nostra præsentia litigatum , nos pro dilecto filio magistro Honorio exigente justitia sententiam duximus proferendam , sicut ex rescripto nostræ diffinitionis seriem ple-

*Epist. 14.
De eodem atque
gumento.*

M M mm iij